



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab Anno 633. Usque Ad Annum 726

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1760**

**VD18 90117840**

§. 46. Utiles S. Bonifacii conatus.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66082](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66082)

## §. XLVI.

Sæcul. VIII.

A. C. 724.

*Utiles S. Bonifacii conatus.*

Ex pluribus aliis epistolis cognoscimus, S. Bonifacium cum amicis suis in Anglia commercium epistolare excoluisse. Interim in Thuringiam pervenerant, ubi Principes & populi Duces excitabat, ut ad Religionem Christianam, quam abjecerant, redirent. Hæc enim a Theodoro Clodovei filio, cum hanc Provinciam armis subegit, invec̄ta fuerat; sed Auctoritate Regum Franciæ deficiente, atque Thuringia a Tyrannis oppressa & devastata, populi se Saxonum imperio subjecerant.

vit. cap. 8.  
Greg. III.  
hist. c. 49.

Præterea sub pelle ovina lupi, id est, falsi fratres, sub nomine Religionis Hæresin introduxerunt. Quatuor præ ceteris pessimæ vitæ homines plurimum negotii S. Bonifacio creabant, aliosque in eum excitabant Adversarios, quos omnes Vir Sanctus armis veritatis munitus fortiter confutavit. Igitur in illis populis renata est Fides, & messis multa fuit, quamvis pauci essent operarii, qui nihilominus maxima rerum ad vitam necessariarum inopia laborantes, ad extremam famem propemodum redigebantur. Verum tamen aucto Fidelium numero, etiam Missionariorum numerus crevit.

U u 2; Itaque

Sæcul. VIII.

A. C. 723.

Othlo lib. I.

c. 23.

Itaque brevi tempore Ecclesiæ repa-  
rata, & Monasterium in loco, quem lin-  
gua vulgari *Ordorf* appellabant, ædifica-  
tum hac occasione. Cum S. Bonifacius,  
prædicans & baptizans in Thuringia, in  
ripa annis Orlx tentoria fixisset, qua-  
dam nocte in castris subito serenissima  
lux conspecta est, apparuitque ei S. Mi-  
chael, eundem in proposito confirmans.  
Postquam mane in eodem loco Missam  
celebrasset, illius loci Dominum roga-  
vit, ut sibi eum donaret, quo obtento,  
terram prius incultam arare cœpit, ac-  
que extruxit Ecclesiam in honorem S. Mi-  
chaelis cum Monasterio, in quo Mona-  
chi de labore manuum suarum vivebant.

## §. XLVII.

*Epistola Papæ ad S. Bonifacium.*

Inde S. Bonifacius datis ad Gregorium II  
Papam Litteris Missionis suæ rationem  
reddidit & obstacula enarravit. Papa  
respondit, epistola octavo anno Impera-  
toris Leonis & Constantini quinto, In-  
dictione octava, die quarto Dec. id est  
anno 724. data, in qua præter alia dicitur  
*Non te terreant hominum mina, nec tri-  
mor dejiciat. Deus te tuebitur, in eo so-  
lo confide, veritatem enim prædicas. Quo-  
spectat ad Episcopum, qui hucusque bap-*  
Nati

Greg. ep. 8.  
to. 6. Conc.  
p. 1446.